



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

R. P. Lvdovici De Ponte, Societatis Iesv, Meditationvm De Praecipvis Fidei Nostrae Mysteriis

Vitae Ac Passionis D. N. Iesv Christi; B.V. Mariae, & aliquorum Sanctorum

Qvae Complectitvr Mysteria Diuinitatis, Trinitatis, & perfectionum Dei: ac
de beneficiis eius in homines, naturalibus & supernaturalibus

Puente, Luis de la

Coloniae, Anno M.DC.XII.

Med. 39. De singulari Dei Prouidentia in Institutione Sacratissimi
Eucharistiæ Sacramenti, ad animarum nutrimentum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-38214](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-38214)

MEDITATIO XXXIX.
DE SINGVLARI PROVI-
dentia Dei D. N. in institutione
sanctissimi Sacramenti ad
sustentationem ani-
mæ nostræ.

PUNCTVM. I.



ONS. DERANDA primùm
est singularis excellentia
diuinæ providentiæ, circa
sustentationem animarum
nostrarum, per supremum
hoc Sacramentum; confe-
rendo hanc cum ea, quam

habuit de Adamo in statu innocentæ; ad
cujus nutrimentum plurimas arbores fecit
in Paradiso, & inter alias, etiam à lignum vi-
tæ; cuius fructus, si interdum comederetur,
sufficeret ad conseruandam vitam in pepe-
tuum. Eodem modo diuina providentia, in
Paradiso Ecclesiæ, licet varios posuerit ci-
bos, ad sustentandas nostras animas; super o-
mnes tamen constituit diuinum Sacramen-
tum tanquam arborem vitæ, quia est ve-
rè *b panis vitæ* sempiternæ; in quo infini-
tè excellit alterum illud lignum vitæ. nam
illud erat terrenum, & è terra productum;

a Gen. 2. 9.

S. Thom. 1.

p. 97. 4. 4.

b Ioan 6. 35

hoc

hoc verò Sacramentum est cœleste, & è Cœ-
 lo descendit; illud vitam dabat corpori, hoc
 animæ; illud tantum cōseruabat vitam viuen-
 tium, hoc interdum etiā mortuis dat vitā, sic-
 ut prædictum est. Quare multò melius hoc sa-
 cramentum comparari potest cum altero illo
 ligno vitæ, quod est in paradiso cœlesti, de quo
 S. Ioannes ait, quod adferat fructus duodecim,
 per menses singulos reddens fructum suum; siue
 sint specie diuersi, quo eorum varietas dele-
 ctet, siue vnus & idem duodecies in anno pro-
 ueniens, vt recens semper recreet, & folia il-
 lius ligni ad sanitatem gentium: ita diuinū hoc
 Sacramentum, in quo continetur ille Domi-
 nus, qui dixit: *Ego sum via veritas & vita,*
 profert duodecim fructus, varietatem scilicet
 omnium virtutum in anima nostra, quæ illam
 impellunt ad exercendos duodecim illos fru-
 ctus, quos Apostol. appellat fructus spiritus,
 scilicet *charitatem, gaudium, pax, patientia, be-
 nignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fi-
 des, modestia, continentia, castitas,* quas reno-
 uat hoc Sacramentum, quoties debitè sumitur:
 cuius folia, quæ sunt verba de illo scripta, po-
 tentia sunt, ad perfectam sanitatē hominibus
 adferendam. de illis enim dixit idem Domi-
 nus: *Verba, quæ locutus sum vobis, spiritus &
 vita sunt.* O Pater amantissime, gratias tibi ob
 hanc prouidentiam, delicijs plenissimā, quam
 erga nos habuisti, dum talem arborem in me-
 dio tuæ Ecclesiæ plantasti, quæ vitam æternam
 nobis adferret: Concede mihi, vt peccata &

c. Apoc. 22. 2

d. Ioan. 14. 6

e. Gal. 5. 22.

S. Thom. 1.

2. q. 70. a. 3.

f. Ioan. 6. 64

Vide Medi-

tat. 30.

g Apoc. 2. 7.

passiones meas vincere possim, & gedere de ligno vite, quod est in paradiso Dei, quodque vincenti promissisti.

PUNCTVM II.

DEINDE consideranda est excellentia eiusdem prouidentia, eam conferendo cum illa, quam idē Deus D. N. habuit, ad sustentandum populum Israel Manna illo, quod in quatuor præstantissimis proprietatibus suis figura fuit Diuini huius Sacramenti, easdem habentes, sed infinitè excellentiores.

s. Thom. 3.
p. q. 73. a. 6.

I.

a Exod. 16.

PRIMUM enim Manna erat a panis de Cælo & Angelorum, quorum ministerio in aëris regione conficiebatur, & tanquam ros, minutum in similitudinem pruina cadebat super terram.

b Num. 11. 8
Psal. 77. 24.
Sapi. 16. 20.

b populus verò illud colligens, frangebatur mola & pinsebat, coquens in olla, & faciens ex eorum tularum saporis quasi panis oleati. Sed hic diuinus panis venit à supremo cælo, non Angelorum operâ sed ipsi Spiritus S. cui diuini verbi Incarnatio tribuitur, quod verbum c descendit

c Psal. 71. 6.

sicut ros, & sicut stillicidia stillantia super terram, & coniunctum paruitati nostræ humanitatis, fuit contritum laboris corporis, & pistum aqua afflictionum internarum, coctumq; igni tormentorum, & affectuum maximæ charitatis: & hoc modo factum fuit cibus noster, testum accidentibus panis & vini, commutans illam pœnam, quam erat nobis minatus, cum dixit, d in sudore vultus tui vesceris pane. nam propriis afflictionibus & sanguineo sudore

d Gen. 3. 19.

com-

comparauit nobis panem, quem sine tanto labore nunc comedimus, iuxta illud Sapientia: *paratum panem de caelo praestitisti illis sine labore.* O Pater amantissime, gratias tibi, quod Filiis tuis praestantem aded panem dederis, panem verè Angelorum, quo & ipsi sustentantur, quamuis alio modo, quàm homines, *panis* eminenter **VERVS**; cuius comparatione, ille quem dedisti Hebraeis, non verus fuit sed figura, & siquidem tot expensis tuis ita illum praeparasti, vt & mihi liceret illum sumere, (meipsum, te adiuuante, ad illum sumendum, praeparabo, molens & conterens cor meum dolore peccatorum, & corpus poenitentis; piensens & coniungens potentias meas cum viua aqua tuae gratiae; easque condens ardenti igne tuae charitatis.

cSapi. 16. 20

fIoan. 6. 32.

II.

DEINDE Manna erat panis medicinalis, qui à morbis praeseruabat: & quam diu Israelitae eo sunt vsi, *non erat* (vt ait Dauid) *in tribubus eorum infirmus*, quamuis multi interierint morte subitanea, in poenam suorum scelorum, ac postea omnes tandem saltem pro senio mortui sunt; At diuinum hoc Sacramentum sanat morbos animae, praeseruatur a morte multorum peccatorum, & porrò ab aeterna, in quam propter illa incidere solemus: Et suo tempore liberabit etiam ipsum corpus nostrum à morte, iuxta illud nostri Saluatoris: *h qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam*

gPsal. 104. 37.

hIoan. 6. 55.

eter-

eternam, & ego resuscitabo eum in nouissimo die.
 O Saluator potentissime, medicamentum, &
 medice noster, quam fuit admiranda prouiden-
 tia tua, qua mortem, quam ob vnum cibum degu-
 statum incurrimus, ea vita destruxisti, quam no-
 bis praestas per hunc cibum; ne patiaris, Domine, ho-
 mines ita reuerenter illum sumere, ut infirmi
 fiant & imbecilles, aut dormiant somnum mor-
 tis, convertentes culpam suam in aconitum, quod
 tua misericordia institueras in antidotum.

i 1. Cor. 11. 3

III.
 k Sapi. 16.
 20.

l Sapi. 16. 21.

TERTIO sicut Manna tantum habebat sapor-
 em vnum naturalem, iustis tamen k habebat
 omne delectamentum, & omnis saporis suauita-
 tem, quia unicuique ita sapiebat sunt ipse cu-
 piebat: Ita diuinus hic cibus, quamuis tan-
 tum habeat saporē vnum naturalem, spe-
 cierum scilicet panis & vini; pro iustis tamen
 omnes habet spirituales saporē, quos qui-
 cunque illud sumit, habere desiderat, iux-
 ta suam indigentiam. continet enim in se fon-
 tem totius saporis & dulcedinis, l quam in fi-
 lios tuos ostendis, deseruiens vniuscuiusque volun-
 tati, ut ad quod quisque voluerit, conuertatur; nam
 sumenti hoc Sacramentum cum desiderio obe-
 dientiae aut patientiae, adfert illi has virtutes,
 ita dulces eas reddens, ut in earum exercitatio-
 ne multum delectentur; & dignè comunican-
 tibus det saporē & suauitatem spiritus, qui
 eminenter continet in se saporē earum rerum,
 quae carnis gustatum delectant. O Prouidentia
 dulcissima! o fons totius suauitatis! vnde mi-
 hi tantum bonum, ut meae tu seruias voluntati?
 vii,

vinam semper occuparet obsequendo eue, ita libenter eam in terra exequendo, sicut Angeli exequuntur in coelo.

QUARTO vnusquisque ex m *Manna* colligebat mensuram constitutã, magnam aut parvam; quæ ita sufficiebat eorũ sustentationi, vt nec qui plus collegerat, haberet amplius, nec qui minus parauerat, repereret minus; sed singuli, eo quod collegerant satiebãtur: Ita hîc quamcumq; mensurã quis sumat huius Sacramenti, sufficiet illi ad integram sustentationem spiritualem; quia totus Christus est æquè in parua hostia atq; in magna, & in qualibet eius minima particula, tantumq; recipit qui mediam partem accipit hostiæ, atque qui accipit integram; & tantum accipit vnus, quantum mille; nec mille plus accipiunt, quàm vnus: quia oēs & singuli eundem Christum accipiunt, qui oēs abunde satiat. Et propter eandẽ rationem tantum accipit qui sumit solam hostiam, atq; qui hostiã simul accipit & calicẽ; quia totus Christus cum sua carne & sanguine, est sub speciebus panis, & totus similiter sub speciebus vini. O Panis vitæ extremè parue, & extremè magne! quid enim magis paruum, quàm micula diuini huius panis! quid verò magis grande, quàm Deus & homo, qui in ea continetur! O Panis supreme, fac me paruum & magnũ; paruum in meis oculis, & magnum in tuis. Et siquidem tu solus sufficis pro millionibus animarum, satia desideria animæ meæ, vt ex nunc omnimodò sit tua in æternum.

PvN-

IV.

m Exod. 16.

18.

Part. 3. Msdit. 17.

PUNCTVM III.

TERTIÒ considerandum, quod prouidentia Diuina statuerit, vt nos ipsi cooperemur in quærendo & gustando hoc diuino pane, sicut iussit Israelitas a mane diluculo colligere Manna, *b ante ortum solis: nam eo orto liquefiebat*, in pœnam negligentium & & pigrorum, vt omnes intelligerent, sicut ait Sapiens, *b quoniam oportet praeuenire solem, ad benedictionem tuam accipiendam, & ad ortum lucis te adorare*. In quo monemur, manè magnoque feruore ac diligentia surgere propter tres causas: *prima* est, ad meditandas diuini huius Sacramenti excellentias, & colligendū Manna dulcissimum deuotionis, quæ hauritur ex earum consideratione, antequam Sol occupationum & tentationum, quæ die accedente eueniunt, nos distrahant, & exsiccet spiritum. *Secunda* ad laudandum & glorificandum Deum animo gratissimo, propter tantum hoc beneficiū assistendo sacrificio Missæ, quod in hunc finem celebratur; & continuam eius memoriam seruando. si enim Deus Dominus noster adeò voluit retineri memoriam Mannæ, vt iusserit *c impleri mensurâ Gomor ex eo, & custodiri in futuras retro generationes in ipsa arca testamenti, vt nouerint, inquit, panē, quo alui vos quadraginta annis in solitudine;* quantò magis volet seruari apud nos memoriam perpetuam Diuini huius cibi, cum magna animi gratitudine? siquidem eo hæcenus

a *Exod. 16.*

21.

b *Sapi. 16.*

27. 28.

c *Exod. 16.*

32.

susten.

sustentavit Christianum populum ultra mille
 sexcentos annos, & porro sustentabit vsq; ad
 finem mundi. *Tertia* est, vt nominatim ipso
 die sacrae Communionis suscipiendae mane
 surgentes, ad eam nos diligentissimè dispona-
 mus, hanc accipientes tanquam primam &
 præcipuam illius diei occupationem; reuo-
 cantes in memoriam, quod scriptura dicit,
 quòd cum quotidie Manna colligeretur, d*se-*
nt tamen die colligebant cibos duplices per sin- *d Exo. 16. 22*
gulos homines; quia die sabbathi non inuenie-
 batur; ideoque vexabatur fame qui neglexis-
 set, feria sexta duplicatam mensuram colli-
 gere: sic inquam si in sex diebus huius vitæ
 non colligo fructus huius Sacramenti, non
 inueniam in Sabbatho vite futuræ, patiarque
 esuriam perpetuam, nec erit mihi Sabbathum
 quietis sed tormenti. Quare, anima mea, quò
 magis accedis ad finem vitæ, eò diligentius te
 præpara ad duplicatam fructuum mensuram
 colligendam, qua æternam saturitatem con-
 sequaris. . *Ad bonam prædictarum trium*
rerum executionem multum iu-
uerunt subiectæ Medi-
tationes.

